

DISSERTATIO HISTORICO  
POLITICA,  
De

INDULGEN-  
TIIS,

Quam

*Cum consensu ampl. Senatus Philos. in Regia  
ad AURAM academia,*

Sub PRÆSIDIO

VIRI CL.

Mag. ALGOTHI A.  
SCARIN,

Hist. & Philos. civ. prof. Reg. & ord.

PRO GRADU in Philotophia

*publice ventilandam modeste defert*

JOANNES DAVID ALOPÆUS

WIBURGENSIS.

die v. D. XXIX. Aprilis, Anno

MDCCLXXXVIII.

*Hor. loc. ante merid. consuetis.*

---

ABOÆ, Exc. Joh. Kiæmpe, R. Ac. Typ.

S:æ R:æ M:tis  
MAGNÆ FIDEI VIRO,  
Reverendissimo in Christo PATRI  
ac DOMINO

**D<sub>N</sub>. DANIELI  
JUSLENIO,**

S. S. Theologiæ DOCTORI celeberrimo,  
Diœceseos Borgâensis EPISCOPO emi-  
nentissimo, Gymnasii & Scholarum  
ibidem EPHORO accuratissimo, ven.  
Consistorii PRÆSIDI gravissimo,

MÆCENATI MAXIMO.

Περὶ τῆς τῶν ἀμαρτημάτων αἰτίσεως ἢ περὶ τῶν  
ἀσυλῶν διαλογιζόμεθα, ἔδεν μὲν γέτων ἐν  
πλείονι ἐπιείκῃ τεθειμένον ἔργον, ἢ τὸ γὰρ ἀ-  
δίκως διωχθέντας ἀμύνον. Ὡταν δὲ, προσίτα  
βέλυσῃ, δια πολλῶν χρόνων ὡσπερ ἀσυλον καὶ  
ἐπιχειρία ὑπαίξεῖς πᾶσι τοῖς περὶ παιδείαν μὲν  
σπυ-

σπαράζουσιν, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ἀλυχίας αἵμα λεθ-  
λιμμένοις· ἔασον ἔνι, ἵνα αἰαίλιον τὸ ἔργον  
Ἰησοῦ ὁμοίως τὸ ἄστυλον καὶ τὴν ἐπιχειρίαν ὡδῶ  
σε εὐρίσκηται, εἴποτε διωχθῆναι τυχοί, οἷς λιὲ τῶν  
ὡδῶ φρονημάτων τῶν παπιστικῶν ὡδῶ προσβα-  
λεῖν ἐτόλμησε. Μηδὲ ἐπιρροψῆς ἀπὸ Ἰησοῦ τῆς  
εὐνοίας σε βωμῶ τὸν ἀλουργὸν Ἰησοῦ διαλογισμῶ  
Ἰησοῦ πρὸς τὴν ζημίαν ἀποβεβλημένης τῆς  
χάριός σε ἀρπάζεσθαι. Οὕτως ἀφορμὴ δο-  
θήσεται μοι ἰλαρῶ προσώπῳ καὶ σώματι ὡδῶ  
τῆς ὑγείας σε τῶ θεῷ προσκυνεῖν, ὅπως αὐ-  
τῷ, καὶ Ἰησοῦ ἐκκλησία, καὶ Ἰησοῦ πελάταις πολὺν  
χρόνον εὐδαιμόνως βιοῖς.

Ὄνόματός σε αἰδεσιμωτάτῃ

ΔὲλⓄ ἘπεινόταⓄ

JOANNES DAVID ALOPÆUS.

*Admodum reverendis atque præclarissimis*

**Dnn. MAGISTRIS,**

In regio Gymnasio BORGŪENSI S. THEOLOGIÆ & PHILOSOPHIÆ LECTORIBUS dexterrimis, vener. CONSISTORII ADSESSORIBUS prudentissimis, PROMOTORIBUS certissimis.

*Plur. reverendo & clarissimo*

**Dn. SAMUELI KROGIO,**

ARCHIDIACONO ecclesiæ WİBURGENSIS vigilantissimo, AVUNCULI loco colendo, venerando,


**O**B institutionem in doctrinis & moribus publice profuturis, qua paulo ante memet alumnum disciplina VESTRÆ non indignum censuistis, VIRI præclarissimi, hoc meum opusculum, in tenuitate animi non degeneris VOBIS dicatum volui. Quæ ab illo tempore, usque hodie VESTRA in me indulgentia fuerit, quantis beneficiis devinxeritis, cum non opere in ipso, nedum verbis exprimere queam, silentio omnia involvo. De VESTRA benevolentia nibiloscius tamen certus etiam in posterum, postquam IPSI, memet socurum esse iussistis, quæ cum nosmet non poterimus, DEUS pro nobis gratiã referet. Certe quæ mibi præstita fuerint benefacta, egregie compensabit!

**Præclariss. NOMIN. VESTROR.**

*Cultor observantissimus*

**A. & R.**





A!Ω!

§. I.

**I**ndulgentia ab indulgendo derivatur. Hoc porro unde dicatur, & quot hujus vocis sint significationes, pace & indulgentia *Benevoli Lectoris* nosmet commemorare supersedemus: quippe quibus propositum brevitati studere, adeoq; limites curriculi non nisi brevissimos nobis, præfigere. Sufficiat tantum paucis indicasse nos per *Indulgentiam* heic intelligere remissionem quorumcumque delictorum, sive aliquis illorum vere obnoxius, sive innocens fuerit. Quam igitur indulgentia omnimodam delictorū relaxationē sub se comprehendat, sequitur tantum non omnia cu-

A

jus-

juscunque nominis sint atque species, quibus ex supplicio aliquid remittitur & condonatur, vocabulo indulgentiæ includi. Jam vero cum nemini non constet, *asyla* Hebræorum, gentilium ac Christianorum immunitatem ad se fugientibus præstitisse, ita ut aliquem vi exinde eripere non licuerit; proinde evidens est, etiam ejusmodi *asyla* sub notione *indulgentiæ* convenienter admodum venire posse. Quin, cum immunitatis conferendæ privilegio non *loca* modo donata fuerint, verum etiam *persons* summæ dignitatis: non male dispescuntur *indulgentiæ* in *realia* & *personalia*. Et quatenus vel ipse Deus vel homines has indulgentias ab initio instituerunt, sunt *indulgentiæ* etiam vel *divinæ* vel *humanae*.

## §. II.

**A** *Syla* sub voce indulgentiæ comprehendendi §. Ia. evictum dedimus. Hoc autem indulgentiæ genus, quibus gentibus natales suos debeat, inter eruditos non convenit. Rationes

nam-

namque hinc probabiles, illinc minime contemnendas adferre solent. Qui hunc *indulgentia* ritum a gentilibus originem suam arcessere contendunt, ad *Nimrodi* provocant aetatem, quam Hebræorum dynastiâ multo, priorem existisse, constat. Nimrodum vero statuam erexisse, quæ jure indulgentiæ prædita fuerit, docet Gilbertus Cognatus narrationum libr. 4. hisce verbis: *Nimrodus gigas babilonicus filio suo primogenito amisso, ad tenimen sui desiderii statuam posuit & erexit auream in templo & in palatio, quam tamquam Deum colere cepit: & eodem fugientes homicidæ, latrones & capitalis supplicii rei, statim venia codicillari donabantur.* Inde qui pro gentilibus ceu auctoribus hujus instituti dimicant, exempla producunt statuæ *Assyrophenis* in *Ægypto* & columnæ *Beli* sive *Nimrodi* a *Nino* filio constructæ, quas, omnibus ad se fugientibus securitatem indulgisse, dicunt. De hujus rei veritate convicti videri volunt *Tostatus Abulensis*,

Bernhardus & Fulgentius, adeo ut de Sibyllinis foliis eorumve incertitudine ipsis sibi nihil participasse velle videantur. Quidquid sit, si quæ constet veritas testimonio horum, patet *indulgentias* gentilium quinque fere seculis antiquiores fuisse hebræorum, ad computationem Joh. H. Alstedii. (\*) Qui autem hebræis favent, partim exempla modo allata tamquam incerta & vacillantibus fundamentis superstructa rejiciunt; partim quoque proferunt rationes, quibus demonstratum eunt: *indulgentias* omnium primo inter hebræos viguisse. *Esto*, inquit, *quod statua quædam erecta fuerit, inde tamen non statim* lequitur illam jure *indulgentia* donatam fuisse. Deinde dubitât, num *Assyrophenes*, cujus nomen, suspectum esse videtur, in rerum natura unquam exstiterit; siquidem probati annalium scriptores nihil quidquam de illo commemoraverint. Et si vel maxime talis exstiterit statuanque  
erc-

(\*) Chron. 16. mon. ass.



erexerit, domesticis tantum, non vero peregrinis immunitatem præstitisse, docent. Hinc igitur apparet *indulgentiæ* ritum, quem quærimus, ejusque originem, communi gentium suffragio ad gentiles nondum relatum, nedum ceu necessarium aliis ad imitationem propositum fuisse. Potius gentiles κακόςηλοι ad instar simiarum & psittacorum sanctum hunc populi Hebræi ritum in suos mores traduxerunt. Hisce vero præsuppositis, statuam *Nini*, Belo sub nomine Saturni & Jovis consecratam, inter fabulas referunt doctores, tanto magis quanto in monumentis genuinæ vetustatis nusquam legitur, Ninum statuam parenti suo Belo consecrasse, cultu adorationis prosequendam; multo minus illud, quidquid fuerit virtutis auctoritatisque eidem adjecisse, ut qui ad illam accederent, veniam delictorum & impunitatem essent habituri. Rationes ceteras, quibus insistant *Polydorus Vergilius*, *Georgius Rittershusius*, *Ofander* & alii ad  
osten-

ostendendū hanc speciem *indulgentiæ* primæ originis suæ laudem debere *Hebrais*, nullo modo autem gentilibus, consulto prætereo. Verum enim vero, si columnæ a Nimrodo, ab Ægyptiis & demum Nino immunitatis privilegio donatæ erāt, pro modo nominati auctores ab initio § citati prætendunt, & præsertim statua illa Assyrophenis, quæ domesticis immunitatem stipulata fuit, nil impedit, quo minus ritus indulgentiæ jam tum esse cœperit. Nec causam videre possum, quomodo hac ratione prærogativæ gentis Hebrææ aliquid derogaretur, cum hunc ipsum ritum a gentilibus deducere non opus habuerint Judæi; siquidem *DEUS* propria auctoritate, absque intuitu ritus & moris gentilitii hujus *indulgentias* inter peculium suum sancire potuerit. Hisce observatis, partes dissidentes facillime inter se conciliari posse existimamus.

§. III.

Quod attinet *indulgentias* Hebræorum

rum, constat Ex. 21. 13. 14. aras in deserto illis relaxationem pœnæ præbuisse, quoties ex improvise quis alium in civitate occidisset. Si vero ex destinato consilio cædes commissa esset, nullius indulgentiæ particeps homicida factus fuit, quemadmodum exemplo Joabi illud non obscure patet 1. Reg. 2. 28. Deinde *indulgentiæ* jure eodem donatæ quoque erant sex illæ urbes, quarum tres *Moses*, tres item *Josua* successor Mosis constituit. (a) Num autem 42 illæ urbes Num. 35, 6. eodem jure gaviisæ sint, non usq; adeo certum est. Existimant tamen nonnulli, illas quidem immunitatis privilegium habuisse, sed hoc cum discrimine: quod

hospi-

(a) *Urbes illæ erant: Bezer, Ramoth & Golan cis Jordanem, trans Jordanem in terra Canaan: Sichem, Kades & Hebron, quæ pari distantia a se invicem dispositæ erant, & tamquam duo ordines in vinea collocatæ. conf. annot. Reitzii in Goodwini Moses & Aaron de Asylius pag. 200, §. 3.*

8  
hospitium, omni absq; interveniente  
comorationis mercede fugienti non  
obligati fuerint præstare inhabitato-  
res. potuerint, si videretur, *notos* tan-  
tum recipere, *ignotos* vero, præsertim  
homicidas rejicere, sicubi, præstato  
receptu, periculum securitati ipso-  
rum non e longinquo imminere vel-  
le videretur. Ex adverso autem 6  
illæ prædictæ civitates, tam *notos*  
quam *ignotos*, absque ullo discrimi-  
ne recipiebant; hospitium exulibus  
sine pretio concedebant, nec un-  
quam fugientem, clausis portis, ex-  
cludere debebāt. Quid autem de tri-  
bus istis civitatibus judicandum sit,  
de quibus Deut: 19, 9. commemo-  
ratur, num 6 illis addendæ essent,  
vel partem alteram ex illis consti-  
tuerint, dissentiunt eruditi. Prio-  
rem tamen sententiam tamquam tu-  
torem & probabiliorem amplectun-  
tur plerique interpretum, si contu-  
macia & inobedientia sua populus  
Hebræus se illis indignum non red-  
didisset. Quo vero percussor facili-



9  
us idque tuto magis ad has civitates se conferre posset absque ullo impedimento & obstaculo, injunctum fuit magistratui Israëlitico, ut singularem viarum curam gereret, quemadmodum Judæorum magistri memoriæ produnt. adeo ut in aliis & illud observaretur, ut statua quædam mercurialis ad devia quævis erecta staret hac cum inscriptione: *וְלִפְנֵי וְלִפְנֵי* refugium, refugium, ne ex improvise in manus vindicis illaberetur percussor. Eum in finem dati sunt quoque illi duo aut tres ex discipulis sapientum, ut vocabantur, qui in via ad judicem illum comitarentur, ne a vindice sanguinis opprimeretur, usque dum causam pro se dicendi copiam habere posset. Quod si vero coram tribunali reus, eadem penitus ex destinato consilio patrasse, deprehensus fuerit, vindici sanguinis tradebatur; sin minus concedebatur ipsi potestas permanendi cum illa restrictione, ut ea in civitate usque ad obitum Pontificis vel hujus vicarii commo-  
rare-

raretur; postea vero ad lares domesticos rediret. Ne igitur exules promaturanda pontificum morte Deum assidue rogarent, matres sacerdotum muneribus & donariis nullis non efficere studebant: certe necessariis ad victum & amictum in longum praestitis animos illorum lenire & demulcere voluisse, ex scriptis rabbinorum referunt *Goodwinus* (b) & *Adam Eráman Mirus* (c) ut ceteros praeceam-

#### §. IV.

**EX** rationibus §. 2. allatis ostendere volumus indulgentias immunitatesque poenales statim post diluvium ante tempora Hebraeorum apud gentiles in usu esse potuisse. Verum cum ante me multi sint, qui ob rationes minime leves rem in dubium vocant; nobis in expedito fore intricatissimæ vetustatis controversiam polliceri neque possumus.

pra-  
(b) *Goodwini Moses & Aaron de Asylio.*

(c) *in lexico suo antiquitatum biblicarum.*

Præsertim cum illos habeamus, qui uno quasi ore testentur, gentilium *indulgentias Cadmo* suam originem debere, cum Thebas conderet. (a) Et quoniam vixerit Cadmus 25 annos (b) post *Josua*m, probabiliter assertum volunt, *illum* indulgentiarum ab Hebræis ritum quoque in suæ gentis usum derivasse: quem deinde a nepotibus *Herculis Athenis* quoque institutum fuisse narrant nonnulli; quemadmodum de indulgentiis sive *asylis* in Rheteo littore *Ajacis*, *Achillis* in *Sigæo* & *Junonis Trojanâ* regione excitatis, adsunt qui testentur non pauci. Ut ceteras indulgentias taceam, quæ alio atque alio tempore, aliis atque aliis in locis a variis gentibus institutæ exercitæque fuere: Utpote a *Molossis*, *Samothraxis*, *Chrotoniatis* atque *Messenis* & aliis, de quorum indulgentiis ad nauseam usque com-

me-

(a) *Alex ab Alex. libr. 3.*

(b) *Reitzius in annot: in Goodwini Moles & Aaron de Asylis pag. 198.*

memorant, qui gentiliū annalibus  
 consignandis operam dedere. Tam  
 enim latè hoc indulgentiarum ge-  
 nus per omnes mundi plagas se o-  
 lim diffudit, ut nulla fere gens ex-  
 stiterit, quæ non morem istum ad-  
 optaverit & pro suo agnoverit. In  
*Europa* Romulus, cum condendæ  
 Romæ, hoc est novi imperii molien-  
 di consilium cepisset: eodemque ri-  
 tu, magno suæ rei ut & novæ rei-  
 publicæ incremento usus est. Locum  
 immunitatis privilegio sacrum inter  
 Capitolium & arcem elegit, quem  
 intermontium vocabat. Dabatur i-  
 bi receptui locus promiscue omni-  
 bus, etiam pessimis & scelestissimis,  
 neque nisi cum imputatione in fla-  
 gitium inde extrahere fontes, quis-  
 quam sustinuit, teste poëta:

*Et tamen ut longe repetas longeq; re-  
 volvas*

*Nomen, ab infami gente deducis  
 Asylo.*

(c) Ast tamen præsertim in *Græcia*  
 incla;

(c) *Juv: Sat. 8. libr. 3. ad finem.*



inclaruit hoc *indulgentiæ* genus, ubi  
 raraere urbs exstitit, quæ immuni-  
 tatem & tutelam fugientibus non  
 concefferit. Scimus hanc orbis partē  
 undis maritimis maximam partem  
 adlui, latrocinia & piratarum mo-  
 limina oras & sinus inibi circum  
 quaque infestasse. Illis ad perpe-  
 tranda impune mala quævis, *indulgen-  
 tiæ*, aut si dicere mavis receptacula  
 ista perinde inseruiebant, atque pon-  
 tificiæ illæ sequioris ævi, quæ pro  
 venialibus non solum, quæ jam an-  
 te summo cum scelere perpetrata  
 fuerint, verum ea quoque quæ de-  
 inceps perpetranda forent, vendita-  
 bant. Sed circumjacentis oræ inco-  
 læ, ne a piratis, & maleficis exhauri-  
 rentur penitus ad vires hinc illinc  
 colligendum, quas grassanti licentiæ,  
 opponerent, viam, quam ad excin-  
 dendam humanitatem hostes ingres-  
 si fuissent, hi quoque tenere neces-  
 sum habuere, ad eandem vindican-  
 dam & in tuto collocandam. Loco-  
 rum vero modorumque, quibus a-  
 pud

pud varias gentes privilegia immu-  
 nitatis ista sese exerebant, neque  
 numerum neque rationem quis inire  
 potest. Penes Romanos, cui ex illo  
 facinorosorū globo *personā sacram* ad-  
 ire contigit, *indulgentiarum* mox par-  
 ticeps factus fuit. Inde si virgines  
 vestales forte occurrerent ad sup-  
 plicium ducendo, liber ille quoque  
 declaratus est, referente Plutarcho  
 in Numa. Idem de *sacerdote Jovis*  
 quoque prædicat, quod præ foribus  
 suæ ædis præstolatus sit adsiduo, u-  
 trum ad pedes illius sese advolve-  
 ret aliquis? Qui genibus advoluti ge-  
 nium & majestatem Numinis illius a-  
 gnoscebant, indulgentiam non dif-  
 ficulter impetrabant. *Sacrorum reges*  
 mox principes gentiū æmulabantur,  
 qui secundum illud poetæ. *Ἰσχυρὸς ὁ*  
*βασιλεὺς, reges sunt sacri,* in delictis  
 præsertim civilibus dispensandi pri-  
 vilegium, eodem jure, sibi quoque  
 competere existimarunt. Immo non  
 vivis solum, sed & mortuis virtu-  
 tem inhærentem affingere non du-  
 bita-

bitarunt, Cassio Dione teste. (d) Apparet itaque hinc, *res & loca*, quæ securitatem delictorum præstiterunt tam multa tamque varia fuisse, quam late pateret superstitio, eaque non uniformi, sed diverso modo sese apud diversas gentes exereret. Non enim urbes, templa, aræ & altaria; sed etiam luci, statuæ & imagines principum, signa militaria, coronæ & alia ejusdem farinae indulgentiam longe lateque disperserunt. Nostris majoribus non incognitum neque invidum fuisse eundem ritum *Adamus Bremensis* suo testimonio non obscure significat, cum de præsci ævi deastro *Odino* ejusque loco *Odenslund* Upsaliæ consecrato dicit: Iustum lucum tam sacrum fuisse gentibus, ut singulæ arbores ejus divinæ crederentur. Germanis *Irmenseul*, aut si dicere maluerimus *Hermanseul* universalis columna fuit, ad quam ceu numen tutelare confugiebant quotquot male admissorum veniam indul-

(d) *libr. 56. Hist.*

indulgentiaque opus haberent. Quæ omnia omnes promiscuè respexisse, & receptacula indulgentiarum ista immunitatem præstitisse etiam sceleratissimis, satis superq; evincunt. Instituto ab ipsa Numinis fundatione indulgentiarum & Asylorum, diverso plane. Ab initio, illorum bono securitatiq; destinatum modo institutum hocce, qui innocentes essent, fortuna spoliati, belli alea fatigati, bello capti, exules, servi injuste a dominis afflicti, & nulla sua culpa obæratæ essent. (e) Postea vero dissolutæ admodum factæ sunt indulgentiæ, sceleribusq; nullis non lata porta, illis mediantibus, patefacta fuit.

§. V.

VERUM enimvero videtur mos aut si mavis institutum immunitatis hocce non tam ab Hebræis quam potius a gentilibus ad Christianos descendisse. Nam apud Hebræos non alia loca quam urbes & altaria  
indul-

(e) *Alex. ab Alex. libr. 3. cap. 20.*



indulgentias concedebant. Sed pontificii inter christianos, more gentium, rebus etiam abjectissimis jus indulgentiarum tribuebant. Et quod plurimum valet, scelestissimos quosque, qui ex destinato consilio eadem commiserant, publicos depeculatores, decoctores & alios ejusdem farinae homines, præ ceteris fere, ad suam indulgentiam pertinere voluerunt, ut infra patebit. Quod quam maxime expresso Dei mandato repugnabat genti hebræorum dato: ne videlicet alios, quam qui ex casu improvise & penitus *irrationabili* alium occidissent, defenderent ut §. 3. inuimus. Discrimen igitur hoc inter pontificiorum indulgentias atque Hebræorum, vel ex unica circumstantia illa satis apparet. Porro notum est, Christianos, puta pontificios indulgisse immunitatem non solum adversus sanguinis vindices & insectatores, sed etiam adversus judices, ita ut reum indulgentiæ tutum munitumque privilegio,

gio, ad tribunal juris via ulla neque trahere licuerit: cum de *indulgentiis hebræorum* illud absolute notum sit, quod homicidis sive voluntariis sive involuntariis potestatem judicibus sese subducendi penitus & omnino denegarint. Deinde de *indulgentiis hebræorum* constat, quod ad familiam legum forensium ac ceremonialium gentis illius saltem & in solidum pertinuerint; siquidem rei ad mortem summi pontificis in custodia quasi detinerentur, & deinde liberi exirent. quæ sanctio mortem servatoris præfigurabat. Facta vero morte *prototypi*, latam de indulgentiis legem cum ceteris ejus numeri expiravisse, quis non videt? adeo ut frustra sint, suam indulgentiarum religionem hinc derivare præsumentes. Suffragatur nostræ assertioni non obscure *Polydorus Vergilius*, cum de rituali in *Anglia* eodem testatur: quod ob flagitium proscriptus quisque, ad littus *strucem* manu præse  
ferre

ferre solitus fuerit: in signum servatæ per religionem vitæ. Inde vero concludit certo certius vir doctissimus, pontificios non a *Mose* sed a *Romulo* ritum indulgentiarum mutuo desumpsisse. Ex hisce igitur argumentis & testimoniis concludere pronum erit: indulgentiarum ritum a gentilibus ad Christianos potius quam ab Israëlitarum gente dimanasse.

#### §. VI.

Tanta vero fuit solertia tantaque nullo non tempore zelotypia cleri papizantis, cum primis vero episcoporum pro servando hocce indulgentiarum jure, puta *religiosi ambitus sui, potestatisq;* ut rationibus atq; motivis quibuscunque potuerunt, plumbeis & ficulneis licet, imperatores secum in eandem mentem inducere voluerint, quo ecclesiæ suæ indulgentiarum privilegium certo certius retinerent. Argumentorum summa erat: quod si gentiles, qui spississimis tenebris circumdati essent,

rantum tamen sanctitatis & internæ  
 & externæ templis suis tribuerint,  
 ut facinorosum vi inde abducere  
 non licuerit; quanto magis christi-  
 ani, quibus lux veræ notitiæ divi-  
 næ uberrime adfulserit, & quibus  
 major præ gentilibus esset conces-  
 sa prærogativa, illud, quidquid fue-  
 rit, religionis atque juris sibi vin-  
 dicare possent, ut puta templa sua  
 immunitatis privilegio condecorare?  
 In ipsa inauguratione, nescio quid  
 divinitatis immigrasse, & pro tri-  
 bunalis quasi inibi considere dixerunt;  
 quo nomine, non humano jure  
 sed prorsus divino hoc privilegium  
 templis præstari debere constanter  
 urgebant. Contendebant juxta sui  
 muneris, puta *episcopalis*, non postre-  
 mam partem esse transfugas & sup-  
 plices ab errore revocare & sui sub  
 umbone litui, receptum præstare. E-  
 jusmodi scientiæ sanctitatisq; incocto  
 succo fascinatis mentibus Laicorum  
 hæc olim subductum fuit & sub sche-  
 mate eodem, mutatis nominibus,



hodie quoque subducitur. Descenderunt ad vota eorum non difficulter principes, qui cum urgerent, flagra illorum pati neque recusabant. Quod autem specioso titulo isti concesserint, intercedentium *preces armatae* potius, quam praesidens templo aut altari *genius* aliquis in causa fuit. Immo coepit eo usque demum extendere sese protervia clericorum horum, ut a templo ad mortem raptos, vindicta publica ejusque praefectis per vim eripere sategerint. Quam impudentiam tamen refranare non dubitavere alii atque alii imperatores, inter quos *THEODOSIUS magnus* referendus, qui severissime mandavit, si damnatos suppliciis dimittere nollent, ipsi pro reis debita solvere deberent. (\*) Quid vero factum? licet eo processerit audacia & prudentia nonnullorum principum, ut ambitus impietatem illam

(\*) in lib. 1. C. Theod. de his ad esca-  
sam confug.

Iam superstitionemque coërcere non dubitaverint, tandem tamen eo deventum fuit, varietate temporum magis quam inscitia juris & potestatis civilis aliqua, ut imperatoris *CAROLI M.* conniventia Christianorū templa *indulgentiarum jure* atq; privilegio ornarentur tantum non omnia. Illa vero variis inde conciliorum decretis stabilita fuit asyli & perinde etiam peccandi auctoritas. Quin invalescente pontificiorum in patria nostra potestate eadem, inter ceteras leges & hæc irrepsit in legisterium sanctio: *ne quisquam in templis caperetur; quisquis hominem occidisset, nisi in templo aut cœnobio, nunquam tutus esset.* (b) Quod pontificii intra pomeria ecclesiæ suæ, etiamnum hodie, eandem immunitatem urgeant, vel ex litteris illorum nuperimis temporibus, 1721 ab Italia *Halam Saxonis* missis concludere licet. Quæ forensis actio causam dederit harum litterarum, *Böhmerus* in

(b) *Särm. B med wil. St. E. E. i.*

25  
in jure protestantium ecclesiastico  
suo recenset (c) quo B. L. ob proli-  
xitatem mittere volumus.

§. VII.

**A**B initio videbatur apud christia-  
nos ritus *indulgentiarum* minoris  
noxæ esse, cum a superioribus sanc-  
tium fuit: ut *ars salutis* in ecclesia  
non pessimis quibuscunque homini-  
bus, sed afflictis & innocentibus so-  
lum modo pateret. Ast deinceps  
tam late patefactæ fuerunt portæ  
*indulgentiarum*, ut impetu facto, vehi-  
culis & plaustris, scelerum & crimi-  
num catervæ quælibet, omni sine re-  
pagulo irrumperere potuerint. Etenim  
remissionem delictorum seu *indulgen-  
tiarum* dispertiebant tum, non modo  
templa, monasteria & altaria; ve-  
rum etiam palatia cardinalium, e-  
piscoporum & ædes monachorum  
conductitiæ, domus orphanorum  
cum reliquis, quæ vel minimam spe-  
ciem religionis ostentarunt. (a) Ut  
ve-

(c) Tom, 3. p. 1041. Thomas. in Lance-  
lets, 11. 20. 6. 7. (a) conf. Job. A. Ofi-

verum, si quæ res alia, sit quam maxime distichon, quod scripsit anonymus.

Quot monachorum ædes olim tot  
asyla fuerunt,

Ipsi nunc *συλαῖ* incipiunt monachi.

Immo crucem apud Saxonas jus indulgentiarum habuisse refert *Georgius Rittershusius*. (b) Ne quid de hostia consecrata dicam, cui jus conferendæ immunitatis idem tribuebant: ita ut nocens si quis se aggregaret sacerdoti eandem gestanti, potestas civilis magistratus exspiraret penitus, ad iudicium & pœnam eundem abstrahendi. Sed non sufficiebat quædam loca in *urbibus* indulgentiis prædita fuisse. Factum fuit demum ut urbes, qua qua paterent, hoc privilegio donatæ sint, quemadmodum de Altenoa, Hamburgi muris imminente oppido, constat, quod cum paucis aliis, quæ germanicè *Freystädte* appellantur, non titulo

*and. de asylis Christianorum p. 229. seq.*

(b) *de j. a. Cap. 3.*



25

lo atqve jure<sup>r</sup> pristino magis, quam  
usu hodierno, eandem immunita-  
tem præstet.

§. VIII.

**H**oc autem *indulgentiarum*, aut si di-  
cere mavis asyli jus tamquam  
multorum malorum fœcunda mater  
merito a nobis rejicitur. Non ne-  
gandum ritum huncce simpliciter  
consideratum, inprimis habita ra-  
tione institutionis primavæ, mani-  
festum usum & commoda in omnem  
republicam derivasse non contem-  
nenda. Verum quantum præsidii in-  
nocentiæ accelerabant diversi modi  
illi conciliandæ securitatis ab initio  
adhibiti; tanta, immo majora multò  
incommoda attulerunt, propectâ in  
majus malitia & una cum supersti-  
tione, sacrarum & civilium rerum  
ambitu atqve æmulatione. Cur a  
*Christianis* observentur, idoneam ra-  
tionem, si ab immemoriali præscri-  
ptione discefferimus, ullam neque in  
jure gentium, neque naturali aut po-  
sitivo fundatam invenire possumus.  
Ille

Ille indulgentiarum ritus, qui penes *Hebræos* viguit, nos non obligat, quia ad legem *Judæorum* ceremonialem spectabat §. 5. Abolita horum politia, in illa gente nullam, ne dum ceteris aliquam ex postliminio vim aut virtutem exercere potest. Ex lege naturali non obligamur ad servandum hunc ritum; nullam namque ideam ejusmodi absolutæ obligationis conceptus socialitatis nobis sistit aut representat. Quin potius deprehendimus morem illum fini creationis, adeoque rationi ipsi repugnare quam maxime. Quomodo ex dictamine rationis & socialitatis illud quæso exculpi potest præceptum: malefico impunitatem & perinde illecebram peccandi esse tribuendam? Si pro parte religionis habenda sit receptio & immunitas præstita facinoroso, quomodo constabit veritas illi Numinis de se & sanctitate sua effato: quod impia facta oderit & malefici coram illo non constabunt. Quid, quod a jure gentium neque indulgenti-

gentiæ istæ derivari possint. Etenim  
 qua parte terrarum & quando hac  
 de re convenerint inter se gentes,  
 planè non constat. Nec quomodo  
 se mutuo ad hunc ritum servandum  
 obligare potuerint, causas inveni-  
 mus fonticas solidasque. Proinde ri-  
 tum hunc quoque, ceu inutilem, i-  
 mo noxium prudentiores & a par-  
 tium studio alienos jure meritoque  
 proscribere nemo nostrum non vi-  
 det. Extra usum sacrum, nullam *san-  
 ctitatem*, nisi ex opere operato, nedum  
 inhaerentem aut spirituales aliquam  
 ecclesiæ ejusve ritibus aut rebus tri-  
 buere possumus. Et quoniam sub-  
 sunt templa, subsunt ministri ipsi  
 sacrorum etiam, potestati principis  
 civilis, ad officium illius pertinebit  
 quam maxime curare, ne oratoria  
 christianorum latibula fiant malefi-  
 corum. (A) et sub larva religionis  
 lucrum sibi, religioni verò fucum  
 faciant nugivenduli. Atque hinc quo-  
 que

(A) *cfr. Boehm, jus eccles., profess. Tom.*  
 3. pag. 1048.

que factum arbitramur, ut Catholicorum templa & monasteria, quæ ditioni principum protestantium subsunt, nullo immunitatis privilegio gaudeant. Immo apostolicæ sedis dispositione quoque aliis atque aliis temporibus, præsertim *Gregorio XIV* sedente, factum fuit, ut, ringente licet clero majore, puta *episcopis*, qui sanctitatis ecclesiasticæ vindices acerrimi erant, a communionem veteris privilegii, puta immunitatis & impunitatis, suæ ditionis facinorosi passim & ubique excluderentur. Sic par judicium erit de causa Osnabrugensi, de qua vide *J. H. Bœhm. jus eccles. protest. (b)*

§. IX.

Quod *legati principum* quoque in alieno territorio asyli & indulgentiæ conferendæ jura usurpaverint, ignotum nemini esse potest. Certe qui Romæ versabantur, propter officium Pontifici tamquam antistiti religionis & vicario Dei præstandū,

jus

(b) *Tom. 3. pag. 1049.*



jus indulgentiæ idem, quod suis per-  
 sonis, suis ædibus *purpurati* ecclesiæ,  
 hi quoque sibi vindicare aggressi sunt.  
 (A) Quæ legatorum potestas asserta  
*Franchitia quarteriorum* appellari sue-  
 vit, a Gallicis vocabulis *Franchise de*  
*quartier*, vel ab Italicis, *Franchiggia de*  
*quartieri* denominata. Historiam hu-  
 jus juris prætensi pridem & ubique  
 fere usurpati, consignavit ex nostra-  
 tibus nobilissimus *D:us Törne* com-  
 merciorum collegio hodie a consiliis,  
 cum debita veneratione mihi nun-  
 quam non compellendus. Quid-  
 quid sit: in tantum abusum jam abiit  
 hæc ratio indulgentiarum; ut non  
 solum legati earundem conferenda-  
 rum potestatem *sibi* adseruerint, verū  
 etiam ad comitatum suum, puta do-  
 mesticos, familiares, opifices, pla-  
 teas vicinas, currus & ædes ab aliis  
 inhabitatas, quibus solummodo in-  
 signia legatorum appendebantur, ex-  
 tendere voluerint, postulaverint. A-  
 deo

(a) *dec. conc. avel. manfr. de Cardin.*  
*l. 8. privi 14. Guido Pap. quest. 131.*

deo ut fugientes ad istiusmodi acro-  
 polin, verius poneropolin, ne ipse  
 quidem Pontifex, licet *vice Deus*, ad  
 suppliciū aliquem rapere jus sibi a-  
 liquod potestatemve arrogare potu-  
 erit. Quo præcipue tempore hæc  
 licentia proruperit, certo determina-  
 re non novimus. Minutis auctibus,  
 aliarum more pravitatum, irreplisse  
 adolevisseque nulli dubitamus. Sunt  
 qui velint id ante accidisse, quam ad  
 gubernacula sacræ monarchiæ ad-  
 moveretur pontifex Julius 2:ds (b)  
 Constat de eodem, quod cum ceteris  
 suis successoribus hanc legatorum  
 licentiã inhibere & suppressere añi-  
 xus fuerit, sed frustra. Adeo enim  
 nunquam suppressi potuit consuetu-  
 do mala ista semel asserta, ut non  
 ex cinere suo subinde glisceret & in  
 flammam iterato erumperet hæc  
 legatorum pervicacia. Patrum me-  
 moria eandem immunitatem postu-  
 lare cœpit *CHRISTINA*, regina quon-  
 dam

(b) *Greg. Leti in vita Sixti 5 part, 2.  
 lib. 12. pag. 464*

dam Sueciæ, sed Romanæ ecclesiæ  
 ritibus pridem initiata. (c) Verum  
 piissimi patris *Innocentii* adhortationi  
 morem gerens, juris illius sanctita-  
 ti, puta indulgentiæ facinorosis di-  
 spensandæ, per litteras ipsa palam  
 mox renunciavit. (d) Sed deinceps  
 hæc præterva licentia legatis Romæ  
 penitus adempta fuit. Specimen  
 Rex Galliæ, qui jus illud ambitu mo-  
 tuque tanto paulo ante vindicaverat,  
 primus dedit: qui in gratiam Ale-  
 xand. 8: i pontificis, juri Franchitiæ  
 quarteriorum isti, anno 1687 suo &  
 successorum Galliæ regum nomine,  
 penitus & omnino renunciavit. Hu-  
 jus pontificis successores, post tran-  
 situm Galliæ Regis in eandem cum  
 curia romana sententiam, ceterorum  
 legatorum usurpationem immunita-  
 tis istius, configere exterminareque  
 non difficulter potuerunt. *Suecia*  
 quamvis non in religione, in illo  
 insti-

(c) *auth. leg. Lavard. p. 31.*

(d) *litteræ ipsæ die 17 Febr 1687. datæ  
 ad Pontif.*

instituto civili tamen cum curia romana per omnia consentire voluit, rege *CAROLO XI* p. m. rerum tum temporis potiunte. quippe. cujus decreto, cum legati exterorū principum illud, quidquid esset juris *Holmiæ* exercere vellent, factum invenimus, ut in ipsa statim herbâ suppressum fuerit prætensum in alieno imperio, jus majestatis illud. Imprimis a prætensione illustri illa exteri destiterunt, cum viderent in diverso imperio non ambire jus illud *Svethiæ* reges; potius litteris ad ministros suos huc illuc missis pristino mori isti, si non iniqui, saltem ambigui juris, publicè renunciassent. Crederem extinctam fuisse controversiam tantum non omnem de indulgentiis, reges inter atque principes, nisi in *Hispania*, idque *Mantuana* urbe in ipsa recruidisse paulo ante constaret. Inibi cum facinorosus quidam post commissum scelus ad domum legati *Levstania* fugam adornasset, inscio penitus legato,

tanti



ranti mox motus exstiterē, & principes inter ipsos inimicitia surrexerunt, ut ad bellum prope res redisset, nisi regnorum Europæ interuentu ceterorum controversia in planum iterum deducta fuisset atque sopita. Plura de litigio atque offensione ista Zopfius in universalī sua historia videri potest. (e)

§. X.

POSTQUĀ assertum iuimus per *indulgentias* §. i. nos intelligere omnimodam delictorum remissionem; quæ tamquam *species* sub *genere* isto comprehendantur, porro dispiciendum. Haud inconveniēter illum ritum, qui in nullis non regnis, imo in patria hodie quoque observatur, conferendi *salvum conductum* Leidebref, huc retulerimus. Promittunt illæ literæ securitatem obnoxio & supplici cuiq; iudicem conveniendi, causam pro se dicendi, & post damnationem repetendi priora loca extra civitatem, quibus ceu latebris

C paulo

(e) edit, 1737. pag. 191.

paulo ante egressus fuisset. Huc etiam pertinent *literae quinquennales*, a Ictis *prescriptiones moratoria*, vel *rescripta principum dilatoria*, græco idiomate *ὑποχρεῖα* nuncupata, germanice vero *Anstandsbrief*, *eiserne brief* & *quinquennialbriefe*, Sverhice *Jernbref*: inde denominationem sortita, quod creditores intra quinquennium debitores suos gravandi aut excutiendi nullum jus haberent, quandocunque citra suam culpam egestate pressi ad incitas redacti essent. Ad species *indulgentiarum* illud insuper beneficiū referre licet, quod conturbatoribus sive *Bancruptoribus* accidere solet interdum, cum bona creditorum dilapidaverint, & clandestina fuga salutis suæ in alieno territorio prospexerint. Solent illi tum creditores suos certiores facere discessus, receptus & in tuto commorationis suæ: imo a creditoribus suis exquirere etiam, num parte quadam ex debito solvendo contenti esse? iterum num

*indulgentiam* ipsis, aut si dicere ma-  
vis remissionem summi juris per-  
mittere velint, differendo solutio-  
nem debiti ad certum & definitum  
unius anni, biennii aut triennii  
spatium, quemadmodum inter il-  
los conventum fuerit. (a)

§. XI.

SED ad literas *indulgentiarum* pa-  
palium, proprie & in specie ita di-  
ctarum, delineandas pedem jam pro-  
movemus: qualem in ecclesiam in-  
trudendarum sancendarumque fun-  
damentum ex scriptura, sed inepte  
quærun. Quam in rem non negan-  
dum tamen, quod ad genesin profana  
& indigestæ disciplinæ hujus  
contulerint non parum *satisfactio-*  
*nes* veteris ecclesiæ, & quæ in il-  
la obtinuerunt pœnarum relaxatio-  
nes. Inde mos penes antistites ec-  
clesiæ christianæ invaluit, ut enor-  
mem peccatorem in communionem  
ecclesiæ recipere noluerint, qui vel

B 2

fidem

(a) *Rittersbusius Tit. 3. de actione in  
fide.*

fidem Christianam abnegavisset, vel idolis sacrificia immolasset, vel doctrina hæretica infectus esset, antequam veram egisset pœnitentiam, quæ ritibus externis declararetur. Id vero factum videtur eam ob causam præcipue, ut non ipse peccator solum delicta sua & lapsum periculosissimum eo melius in memoriam revocaret, & de iisdem cum detestatione doleret; verum ut *exemplum* statueretur in gratiam aliorum quoque, ne a fide & sanctificatione temere disciscerent. Existimabant ad ecclesiam pertinere omnino, in tali casu palam ostendere indignationem & horrorem suum super delictis impudenter adeo, & summo cum scandalo patris. Severitate exempli salubre putabant ejusmodi institutum, ne ansam nanciscerentur extranei doctrinam & religionem Christianam blasphemandi. Ritus & ceremoniæ, quibus peragebatur reconciliatio & in communionem iterum receptio illa, a docto-



doctoribus ecclesiæ appellata fuerunt satisfactiones. Tantum vero abest, ut in illo sensu id dictum voluerint, ac si ritibus hisce externis Deo ob peccata satisfactum foret; quin potius ut expiaretur quocunque modo scandalum, quod delictis gravioribus suis dedisset reus, cum non suæ famæ solum, sed universæ ecclesiæ opprobrio conjunctum. Hic finis erat confessionis & satisfactionis & indulgentiæ in illa cana & sana primorum temporum ecclesia. Quod autem ista perversa opinio postmodum invaluerit, ac si Deo hac ratione per omnia satisfactum esset; invalescenti magis magisque barbariei & nequitiae temporum, puta perversæ doctorum explicationi imputandum, non vero pio & sincero instituto eorum, qui disciplinæ ecclesiasticæ illius primi auctores & inventores fuere. Concedimus has *satisfactiones seu canones pœnitentiales* successu temporis limitatas voluisse antistites.

tes ecclesiæ, tam quo ad multas, quam quoad ipsam pœnarum durationem ideo: quoniam procul dubio experti fuissent multos sub iugo harum multarum succubuisse, in desperationem prolabendo: quin, observavissent etiam multos delictorum vere pœnituisse, ante præstitutum tempus. Verum prout abusus hujus instituti sensim irrepsit, ita tandem quoque factum fuit, ut hæ satisfactiones aliam atque aliam faciem quoque induerint. Postquam enim clerici *Caesares & Numæ* evasissent, ne quæ *nummorum* conficiendorum ipsis occasio elaberetur, post factam absolutionem injungere pœnitentibus: *jejunium, orationem, elemosynam*, tamquam partes satisfactionis observandas, quæ *operum*, aut si dicere mavis rituum *sanctitas* si præstita difficilis & onerosa aliis atque aliis, præsertim ditioribus videretur, soluto certo pecuniarum numero, liberi ab hisce omnibus declararentur, aut minimū  
 miti-

30

mitigari possent hæ ipsæ multæ.  
Quas si qui *fili inobedientiae* essent,  
qui præstare detrectarent partes pœ-  
nitentiæ, pœnas posthumas in  
purgatorio certo certius luere de-  
berent. Hinc istæ indulgentiæ,  
quæ curiæ Romanæ stilo *κατ' ἰσοχρῆσι*  
nomine isto venire solent.

### §. XII.

Ipsam indulgentiarum nundinatio-  
nem quod attinet, illius incuna-  
bula ad calcem seculi 12: i pleri-  
que referunt. A clericis privato  
consilio primum, inde cum in o-  
culos incurreret magis magisque  
lucris bonus odor iste, ab *episcopis*  
immo *archiepiscopis* etiam pro utilis-  
simo ad pietatem invento adama-  
ricæpit, commendarique. Sed non  
diu pinguedinem terræ istam sibi  
servare potuerunt proceres sacro-  
rum illi, antequam in communio-  
nem victimæ pontifex maximus sibi  
quoque deveniendum statueret. Eo  
vero dementiæ pontificum quidam  
progressi sunt, ut non solum cul-  
pam

pam & pœnam peccati hac in vita tollendi virtutem; sed etiam liberationem ex inferno indulgentiis suis affinxerint. Hinc in bullis atqve diplomatibus eorum hæc lenocinia super abundantis gratiæ flosculis fragrantissima quoque inserta reperiuntur identidem: *Concedimus Cajo, Sejo, plenam, plenioram & plenissimam peccatorum veniam.* (a)

Ut autem crumena papalis eo magis locupletaretur, in vicem supplementi hoc quoque aucupium excogitatum fuit. Annos *Jubilæos* instituebant, quibus necessario indulgentias sibi emerent imperio papali addicti. Horum autem annorum jubilæorum auctor *Bonifacius VIII.* fuisse fertur; anno Domini 1399. singulis centesimis annis annum jubilæum celebrandum jubens, qui igitur basilicam Petri & Pauli Romæ visitarent plenam plenioram & plenissimam omnium peccatorum suo-

(a) *vid. Exam. conc. Trid. Chemn. de indulgentiis p. 76.*



suorum veniam consequerentur. Sed ut auctor; ita quoque annus jubilæus & cetera instituta ecclesiastica illius. Confitentur namque ipsi pontificii de illo. *quod intraverit ut vulpes, regnaverit ut leo, & mortuus fuerit ut canis.* Postea vero cum apud semet perpenderent pontifices ex ordine suo multos admodum esse, qui annos hosce jubilæos non superviverent, adeoque longiori tempore currente illo, prohiberi multas *devotas animas*, ne de indulgentia peccatorum pontificem coram convenire possent, decretum fuit in gratiam illorum, ut a centesimo ad quinquagesimum, ab illo vero ad tricesimum annum retraheretur sancta festivitas: imo vigesimo quinto anno quovis postmodum jubilæus celebraretur. Hinc cum avaritiæ demum nil nefas esse inciperet, apostolos & trapezitas suos pontifex quaque versum emisit, qui indulgentias pœnitentibus & impœnitentibus sine discrimine venderent.

derent. Inde v. certæ ecclesiæ, monasteria, capitula, collegia, universitates, confraternitates conventus & hospitalia istud, quidquid esset privilegii, indulgentias putæ vendendi sibi pretio comparabant, ita tamen, ut appropinquantibus annis jubilæis suas suspenderent nundinationes, minorum gentium ecclesiastici, quo indulgentiæ papales copiosius & carius venderentur. Quin illo neque contenti sacræ nundinationis *bono* ordine in ecclesia instituto, tondendi pecoris seu verius æruscandi materiam successoribus omnem penitus ademptum ivere nonnulli pontifices, indulgentias non eorum modo criminum, quæ jam ante perpetrassent homines, sed & post commissuri essent, liberaliter & profuse vendentes. Bullas itaque & diplomata dederunt, quibus cautum erat, quod si in posterum quis peccaret, potestatem haberet eandem, confessorem pura eligendi, a quo, intra præstitutum tempus

pus in canonibus, a peccatis suis in  
 plenum absolvi posset. Hæ bullæ  
 & diplomata appellabantur *confessio-*  
*nalia*. Sed erat impostura nefanda  
 alia, prioribus illis magis execran-  
 da. Licet ægrotantes *indulgentiæ*  
 pretii & virtutis ejusdem, quæ a-  
 lli, sibi acquisivissent; attamen cum  
 novis peccatis novi reatus contra-  
 hantur, inculcabant circulatores  
 circumforanei isti, ut indulgenti-  
 as sibi emerent, quæ sanctæ sedis  
 privilegio peculiari quodam, in su-  
 premo vitæ humanæ articulo, con-  
 tra vim mortis præsentissimum re-  
 medium essent. Illo ceu alexiphar-  
 maco muniti, in purgatorio non  
 detinerentur diu, sed absque ullo  
 impedimento ad cælum opinione  
 citius evolarent. Ejusmodi fuere  
 indulgentiæ papales, quæ olim ma-  
 gis quam hodie multorum de ec-  
 clesia simplicitatem fascinaverunt:  
 pietati & honestati adeo non vali-  
 ficantes alicui, ut luxuriæ ordinis  
 illius & diffluenti quadrato abdo-  
 mine

mine mollitiei inservierint unice.  
 Inter quæstores & institores harum  
 indulgentiarum notissimus in Sve-  
 thia *Arciboldus*, in Germania *Tezo-*  
*tius* fuit, qui ob adulterium com-  
 missum, Imperatore *Maximiliano* ju-  
 dice, sacco includendus & ponto  
 submergendus, intercessione vero  
 ducis Saxonix *FridERICI* ab infami  
 pœna liberatus erat. Hic tantis &  
 tam execrabilibus suasionibus com-  
 mendavit indulgentias, ut ad illa-  
 rum mentionem obstupescere, qui  
 Christo nomen dedit, facile quis-  
 que possit. Atque inde factum  
 etiam ut optarent maximopere fi-  
 deles, vellet Deus tanto Numinis  
 atque religionis ludibrio finem im-  
 ponere tandem. Sed optabant so-  
 lummodo. Nullus palam opus ag-  
 grediausus est, usque quo divina af-  
 fulgente gratia, *JOHAN. HUSS* natio-  
 ne Bohemus primus glaciẽ frangeret;  
 & post illum venerabilis pater Do-  
 ctor *MARTIN. LUTHERUS* cathedras  
 vendentium indulgentias & mensas  
 num



nummulariorum feliciori successu,  
quam prior ille, subverteret. Qui  
plura hac de re desiderat, adeat  
*Cbennit. Exam. conc. Tridentini de in-*  
*dulgentiis.*

### §. XIII.

Cum præter opinionem in præ-  
cedentibus § §. prolixiores fue-  
rimus, paucis tantum attingere ju-  
vabit quæstionem politicam illam:  
*num summus imperans pœnas maleficis*  
*indulgere possit?* Quin principes, seu  
potius *majestas imperii ipsa* nullo  
non tempore facinorosis aggratiandi  
jus sibi indulerit, non sinunt nos  
dubitare indubiæ fidei annales. De  
*Indulgentiis Hebræorum* diximus §. 3.  
nec non *gentilium* §. 4. De judæo-  
rum vero *indulgentiis* observamus,  
quod penes illos mos obtinuerit  
tempore *Paschatis* quendam ad præ-  
ces populi e carcere dimittere. Quæ-  
admodum illud constat ex sacris  
pandectis Matth. 27, 15. *Barrabæ*  
sub exemplo, seditiosi & juxta quo-  
que homicidæ, sed qui recepto gen-  
tis

tis more consuetudineque, impune  
 e custodia dimittebatur. Eundem ri-  
 tum, alio tamen intuitu, Christi-  
 anis primitivæ ecclesiæ usu venisse  
 nos non latet. Scilicet quotan-  
 nis dominica *Palmarum* reis carce-  
 re mancipatis debita relaxata & a  
 supplicio immunitas concessa fuit.  
 Unde etiam dies ille Dominica *in-  
 dulgentiæ* alias appellari suevit. quo  
 die, more veterum illo, hodie  
 quoque *Lutetiae* in Gallia facinoro-  
 sum ad intercessionem episcopi a  
 vinculis liberari nos docet Joachi-  
 mus Hildebrandus. (a) Immo non  
 solum dominica *Palmarum*, verum  
 etiam ipso *Paschatis* festo, decreto  
 ac edicto Imperatorum Romano-  
 rum *VALENTINI* puta & *THEODOSII*,  
 carceribus apertis, criminum reis  
 vincula sublata fuisse, leges ipsæ  
 edisserunt; exceptis quibusdam ta-  
 men, qui atrociorum quorumcunque  
 flagitiorum obnoxii essent. Atque  
 hinc *indulgentiæ* istas *paschales* deri-  
 van-

(a) de diebus festis pag. 66.

vandæ sunt, quæ Christianismo invalescente, primum quidem in papatu locum invenerunt. quemadmodum fusius de illis egit Josephus Binghamus. (b) Illud vero institutum gentium, utrum cum justitia naturali consentiens sit ex decisione propositionis istius: *Num summus Imperans maleficus indulgere possit?* facile apparebit. Quod princeps crimina læsæ majestatis humanæ in aliis atque aliis casibus condonare ex parte aut ex toto possit, nemo est qui dubitaverit. Pertinet jus istud ad clementiam principis: eodemque summum justitiæ rigorem non raro temperandum esse, si salvam velit rempublicam, ipseque non timeri magis quam amari a populo optet, Politicorum patres consentiunt omnes. De SAULE aut si dicere mavis populo Israëlitico, quomodo *Jonathani* adversus edictum publicum peccanti, gratiam fecerit de-

(b) de orig. rit. eccles. vol. 9. libr. 20. cap. 5. pag. 109.

delicti sui, ex factis constat. Sed num princeps leges divinas migranti *homicidae* aut aliis ejus generis maleficis, indulgentiam, seu ut termino utamur politicorum scholis recepto magis, *aggratiationem* largiri queat, controversia est ad unum & consentiens judicium non adhuc deducta. Disceptatum fuit hac de re inter *Hannekenium* & *Rechenbergium*. Prior ille in dissert. suâ: *De jure gratiae principis Christiani in reos noxae capitalis*, statuit principem malefico indulgere posse, si veram egerit poenitentiam. Posterior autem contrarias attulit rationes 1702. in dissertatione: *De jure principis Christiani aggratiandi circa homicidium negato*. Ut nihil jam dicam de *Thomasio* & *Anglo* quodam *Thom. Barlow*, qui ejusdem cum *Hannekenio* fuere sententiæ. Verum enim vero, dubiolis, quæ heic occurrere possunt, obviam iri posse, credo, si fundamentis juris illius rite constituendis paulo accuratiores esse volueri-



luerimus. Etenim non ex civili præcise, verum ex divino potius, cum naturali tum quoque positivo problema illud discutiendum venit. Quod attinet *jus naturæ*, dicitur illud quidem delinquentes esse puniendos, sed generice saltem propter universalitatem suam; verum hanc vel illam in specie pœnam, qua homicida plectendus sit, ipsum dicitur, neminem tuto assertum iturum, confido. Quod si igitur ex jure naturæ determinationem pœnarum certam & proportionatam ullam eruere nequeamus, quæcumque huic vel illi delicto specialem pœnam determinaverit sanctio, *alius fori* esse censenda est. Forum, in quo pœnæ certæ certis actibus peccaminosis propositæ sunt, geminum est, *divinum & humanum*. Si de delictis *fori humani* eorumque pœnis mere civilibus sermo fuerit, de iisdem, prout æquum & consultum viderit, ad finem societatis suæ princeps statuere potest. De illis

si *leviora* fuerint delicta, non ni-  
 mis frequentia, neque exemplo  
 nocitura ad modum, remittere pot-  
 est & efficere, ut ob publicam læ-  
 titiam aut principalem festivitatem,  
 generali abolitione coloni carce-  
 rum dimittantur. Quibus vero in  
 delictis indulgentia locum inveni-  
 re possit, in quibus vero non, id  
 cum perpetuis regulis & exceptio-  
 ne omni carentibus neuiquam defi-  
 niri potest, ad principis pruden-  
 tiam spectat iræ & clementiæ ex-  
 perimenta ita miscere, ut neque  
 eruptioni vitiorum portam pandat  
 nimium indulgendo, neque imma-  
 nitatis suspicionem incurrat, sup-  
 plicia & funera nimium quantum  
 condensando. *SIXTO* v. *pontifici* Ro-  
 mano, præcipuè vero *Suehiae* no-  
 stræ *AUGUSTIS*, *CAROLO XII.* & *FRE-*  
*DERICO I.* hodie feliciter, utinam  
 diu! regnanti, gloriæ perenni ce-  
 det, quod festo coronationis *alter*  
 publicam indulgentiam delictorum  
 edicto ( *pardons ptacas* ) nullam

sanxerit ( a ) alter congregantibus  
 temerario certamine honoratioribus  
 civibus indulgentiæ, in solemnitate  
 regni aliquâ, adipiscendæ spem om-  
 nem penitus, nuperrimo edicto  
 præciderit. ( b ) Quod vero attinet  
 delicta in *legisterio sacræ pagine* pro-  
 hibita, præsertim vero *homicidium*  
 vere tale, si quæ in illo casu pœ-  
 næ indulgentia aliqua pro licita sit  
 habenda, necessitatis vim inferen-  
 tes causæ sint oportet: etiam ob  
 civilem illam rationem insuper,  
 quod adversus potentiores, præser-  
 tim opulentos illos, vitæ humanæ  
 ejusque incolumitati non satis cau-  
 tum esset, si noxam homicidii ca-  
 pitalem, auro aut indulgentia, aut  
 alia quacunque leviori pœna redi-  
 mendi spes atque potestas publice  
 & promiscue daretur. *Gensilibus* mo-  
 ratoribus, qui nobilissimum natu-  
 ræ

( a ) vid. *Peter Abrahamss. Notas in L.*  
*L. ( IV. ) pag. 159. in.*

( b ) *Förnyade Placater om Dueller*  
*dat. 26. Jan. 1738.*

ræ opus dissolvere sustinerent, execrabiles fuisse, & proinde e medio abolendos, oraculum Sybaritis olim, responsi loco Delphis datum, cum cytharædum temere occidissent, non obscure evincit. Quo testimonio, ceu colophonio suffragio nostræ quantillæ commentationi terminum constitutum volumus:

*Non immortales hoc DII patientur inultum:  
Si quis enim prudens scelerata mente  
profectum*

*Committat facinus, gravis hunc prope  
poena sequetur.*

*Non exorabit, neque si genus ab JO-  
VE summo*

*Duceres. ipse suo collo, collisque nepo-  
tum*

*Hoc luet, & generi cumulatim damna  
ferentur. (a)*

S. D. G!

(a) *Ælian. V. Hist. III. 43.*



Clarissime Domine CANDIDATE  
Fautor & amico integerrime.

משפט החבר ואסר הדם שאלו  
פמלי לשבח אותך היום רעו  
ואחי אהוב מאד על מעשה לקחך  
הצח והיפה הזה אשר הוצאת  
לאור הישיבה אפר למרגליות  
דלית לה טימו כל שמשבח  
בה פגמה יתן לך יהוה כל טוב  
למען יסורך וכוחך הגיה אורו  
ואלחכו על אשר שומחים  
בעקבותיך בלך לנא יעפום  
כה ושמאל  
עברך

JOHANNES KRAFTMAN.

# Sinom Hög lärade k. Broder.

**R**Unna färdigt se och dömma,  
Med förnuftets weka tömmar  
Weta härskas öfwer folck;  
Kunna mild och rättwis wara,  
Gemte skärpa utan fara  
Lagen, som är rättens tolck;

Er regenters stora prydna:  
Som förmår til wördsam lydna  
Föra them i ro och frid,  
Som få råkna för en åhra  
Namn af undersåta'r båra  
Sig til fromma allan tid.

Får uti sig Broer utöfwar  
Då han skidligt nog bepröfwar,  
Swad som estergifwas må:  
Huru båd' med rätt och heder  
En Regent af land och seder,  
I det fall sig skickar tå.

Huru han kan Lagen lindra,  
Högsta rätten billigt hindra  
Mot en brytand' delinqvent.  
At rättwisan doch ett lider  
Något mehn, at alla tider  
Han anses en wis regent.

Ibland detta än förmåles  
Det om Judarnas friståders  
Nytra uti Canans Land:  
Samt den seed, som widar' hunnit  
Och et bifall åfwen wunnit  
Kringom all then hedna strand.

Äntlig seer man här områs  
I hwad fara Siälur föras  
Medelst ablat's Prämertij;  
Som med råtta måtte fallas  
I heras, som så snårias, allas  
Siälumord, förrådertij.

När nu sådant och än mehra,  
Kan mitt sinnes frögd förmera,  
Här min trogna önskan märck:  
Gud som flit och möda lönar  
Låte Bror få städse röna  
Fruckten af sitt wackra wärck!

Wiborg den 14. Martii

1778.

**MAGN'IS ALOPÆUS.**

## CONSPECTUS.

- § 1. Excusationem, indulgentiæ definitionem, latitudinem & distinctionem adhibet.
- § 2. Argumenta quædam pro stabilienda origine indulgentiarum seu asylorum apud gentiles, examinat.
- § 3. De Indulgentiis Hebræorum memoria prodit.
- § 4. A quibus gentilibus indulgentia usurpata fuisse, earumque indolem docet.
- § 5. A gentilibus ad Christianos descendisse ratiocinatur.
- § 6. Zelotypiam clericorum pro servando ritu indulgentiarum commemorat.
- § 7. Quale indulgentiarum genus apud illos inolevit, tradit.
- § 8. Jus asyli Christianis ecclesiis non competere, evincit.
- § 9. De Franchitia quarteriorum differit.
- § 10. Variarum indulgentiarum litterarum usum recenset.
- § 11. De occasione, quã sequuti sunt pontifices in sanciendo litteris indulgentiarum, agit.
- § 12. Modum nundinationis tangit.
- § 13. Qua ratione summus imperans pœnas flagitiorum maleficis indulgere & remittere possit, disquirat.